



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

Sabbatum sanctum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

## III.

**Q**uod quondam suis Origenes auditoribus, id ipsum & meo inclamo filio : *Crucifixum vides, & peccas? ô dilecte!* solus aspectus Crucifixi, & mortui Jesu nostras elicere deberet lacrymas, & quidem in tanta copia, in quanta fudit suas Catharina Genuensis exclamans : *O Amor mi! non amplius peccatum! non amplius peccatum!*

*Instructio meritoria.*

Ut fiat, quid agimus? per omnem vitam statuamus *feriam sextam* perpetua venerari Passionis memoriâ, eam diem aut silentiô, aut S. rigore, aut abstinentiâ recolendo. Hodie oremus *Stabat Mater*. Etiam post Pascha manet Jesus in Cruce : Cur non & nos in amore?

## Sabbathum Sanctum.

## EXHORTATIUNCULA I.

**M**onitum D. Pauli est : Fratres! expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, quia pascha nostrum immolatus est Christus. En! fili mi!  
morien-

moriendum est homini veteri, veteri fermento malorum appetituum &c. & resurgendum cum Christo ad vitam novam, & sanctissimam. Pascha enim quid est nisi resuscitatio mortui mundi ad vitam, eamque perpetuam? ergo alii erimus.

*Instructio meritoria.*

Ad Resurrectionis spiritalis gratiam ut perveniamus, Mariæ assistentiam imploremus recitatione Cursûs Mariani coram sepulchro Domini. Maria potest in coelo omnia homini proficua.

II.

**V**ideo ad sepulchrum Mariam. Video & Matrem inæstissimam; quia ablatum sibi tam crudeliter deplorat filium, Jesum Amantissimum. Fili! accedamus, & lacrymas abstergamus. Quomodo?

*Instructio meritoria.*

Trina S. sepulchri visitatione, & cuilibet unum subjungendo Rosarium in honorem septem dolorum, quos in Passione Domini præcipuè sustinuit Maria.

56 Dominica Resurrectionis Dom.  
ria. Filius non est Mariæ, qui matris  
obliviscitur dolorosæ.

III.

**S**epultus est Jesus. Ubi? *in monu-  
mento novo.* Etiam post mortem  
Redemptor puritatem quærit, & diligit.  
Sepulchrum Christi cor nostrum est.  
O quoties in eo non sepelitur sacramen-  
taliter! caveamus fili! ne quid de homi-  
ne antiquo inveniat. Quæ enim Socie-  
tas Christi cum Belial?

*Instructio meritoria.*

Maria largietur puritatem, sed rogata.  
Recitemus igitur officium minus de Im-  
maculata Conceptione cum quinque  
Psalmis in honorem Mariani Nominis à  
S. Joscione recitari solitis. Maria dat  
omnibus abundanter. Tu teipsum non  
negligas in acceptando.

Dominica Gloriosæ Resurre-  
ctionis D. N. J. C.

EXHORTATIUNCULA I.

**F**ili! liceat præ gaudio interrogare :  
O Mors! ubi est victoria tua? Jesus  
resurrexit : Eductis è limbo Patribus  
victor